



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 215. An approbatus in una Diœcesi censeri debeat ubique approbatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

Q. 215. *An approbatus in una Diœcesi censeri debeat ubique approbatus.* R. Negativè : quod certum est saltem quoad Regulares, ex constitutione Clementis X., cujus clausulas concernentes subjicio :

CONSTITUTIO CLEMENTIS X.

Superna magni Patris-Familias &c.

§. 1. Sanè cùm S. Conc. Tridentini Decretis providè statutum fuerit, ut Regulares cujuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint ; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant ; in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Atque ut nullus sæcularis, sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat. Itidémque cùm nullus Sacerdos Regularis possit confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur : & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licen-

licentiam, contradictionem, examen & approbationem ejusmodi in aliquibus Diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ & defensiones permultæ in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

§. 2. Nos attendentes, quòd aliàs diversis temporibus prædictæ dubitationes & controversiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumque Declarationibus definitæ fuerint, ejusmodi Definitiones in unum collectas, ut magis magisque dissensionum tollantur semina, & imposterum firmior in agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, Apostolatûs Officio novis Apostolicis litteris muniendas duximus & roborandas. Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & dilectorum filiorum Romanæ Curiae Prælatorum pietate, doctrinâ & prudentiâ præstantium, & maturâ deliberatione nostrâ, atque ex certa scientia, hac generali & perpetuò valiturâ Constitutione decernimus, & declaramus:

§. 3. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano Benedictionem petere: prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quòd si Episcopus Benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare; eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis

fel. record. *Gregorii XV.* Prædecessoris nostri, incipientis: *Inscrutabili Dei providentiâ*, coerceri & puniri posse. Episcopum tamen absque justa & rationabili causa contradicere non debere; & hujusmodi Benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscunque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo vel in Ecclesiis aut ad crates Monasteriorum sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis & nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus illos quamvis ab Universitatibus aut à Magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

1505

§. 4. Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam cenferi approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere

egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidémque Confessores extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expletâ deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis ac etiâ Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum seu Collegiorum audire Confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia & continui commensales; non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt; illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, cæterorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admit- tendos: quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi approbantis quovis anni tempore etiam paschali & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum vel ipsius Episcopi licentia: De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorum-

dem infirmorum Parochum illico certiore reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

1506 §. 5. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem ab ejus Vicario aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi novâ superveniente causâ, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

1507 §. 6. Porro si Regulares cum scandalo, aut alias inhonestè vivant vel, aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi iudicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbandos suspendere,

re, aut repellere à confessionibus audiendis: At-
tamen confessiones audiendi facultatem omni-
bus simul unius conventûs regularibus Con-
fessoribus adimi ab Episcopo inconsultâ sede
Apostolicâ nullatenus posse. Ex facultatibus
per *Mare magnum* aliave privilegia Regularibus
cujuscunque Ordinis, instituti, aut Societatis et-
iam JESU concessis factam eis non esse potesta-
tem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi re-
servatis, & per confirmationes dictorum privi-
legiorum, quas Regulates à Sede Apostolica
post sacrum Conc. *Trid.* obtinuerunt, nequa-
quam revixisse privilegia prius ab eodem Con-
cilio aut deinde Apostolicis etiam Decretis sub-
lata atque extincta, si quæ habebant absolven-
di à casibus Episcopo reservatis.

§. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab ¹⁵⁰⁸
omnibus casibus sedi Apostolicæ reservatis,
non ideo à casibus Episcopo reservatis posse ab-
solvere: posse autem regularem Confessorem in
ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes
ex alia diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non
autem in illa, ubi idem Confessor est approba-
tus, absolvere, nisi eosdem pœnites noverit
in fraudem reservationis ad alienam Diœcesin
pro absolute obtinenda migrasse: Vigore
supradictorum privilegiorum nequaquam lice-
re Regularibus etiam satisfactâ parte absolvere
pœnites à censuris quoad externum & Judi-
ciale forum, & absolutos ab eis in foro pœni-
tentiali utique non censeri absolutos in exte-
riori iudicio & contentioso. Quin imò censuris
ecclesiasticis irretitos & denunciatos ab Episco-
pis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à
Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibi-
tis

tis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout alias constitutione prædecessoris nostri fel. recordationis *Clementis IV.* statutum fuit, esse requirendum.

1509

§. 8. Decernentes, sic & non alias per quoscunque Judices ordinarios vel delegatos quavis autoritate & dignitate fungentes, etiam causarum palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos & Nuntios & quosvis alios, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate, judicari & definiri debere. Irritum quoque & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

1510

§. 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque quorumvis Ordinum tam mendicantium quam non mendicantium, militarium, etiam S. Joannis Hierosolimitani, Congregationum, Societatum etiam JESU ac cujusvis alterius instituti etiam necessariò & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum & aliorum quorumcunque tam Sæcularium, quam Regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis vel consuetudinibus etiam imme-

Immemorabilibus, exceptionibus quoque, indultis & privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa & titulo oneroso, vel in limine foundationis concessis, etiam *Mari magno*, seu Bullâ aureâ, aut aliâs nuncupatis: Conservatorum Deputationibus, eorûmque atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis decretis etiam motu proprio & ex certa scientia de Apostolicâ potestatis plenitudine aut aliâs quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorûmque totis tenoribus & formis specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ & observatâ, inserti forent, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, aliâs in suo robore permansuris harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ 21. Junii, publicatum 2. Augusti. 1670.

I. Constitutio illa obligat omnes Regulares, etiam Societatis JESU; & derogat omnibus quo-

1511

quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum privilegiis, ac si de verbo ad verbum hic exprimerentur, uti constat ex §. 9. Et hoc sufficere ad efficaciter derogandum, constat ex dictis n. 1464. Hinc si ego Sacerdos Regularis Coloniæ approbatus irem cum cive Coloniensi Ruræmundam, non possem hunc absolvere Ruræmundæ, quia non sum approbatus ab Episcopo Ruræmundano.

1512

2. Regularis approbatus in hac tantum diœcesi non potest nequidem vi Bullæ Cruciatæ vel in Jubilæo eligi in alia diœcesi ad audiendas confessiones, quia Pontifices declarârunt Ordinarium, à quò ille, qui eligitur, debet esse approbatus, esse Ordinarium illius diœcesis, in qua audiuntur confessiones, *Lugo, Tamb. Loth, Carden.* in 2. crisi diff. 2. à n. 271. *Belleg.* p. 2. s. 9. q. 2. contra *Viva De Jubil.* q. 9. a. 3. qui putat in Jubilæo sufficere approbationem Episcopi pœnitentis.

1513

3. Putârunt *Platel.* p. 5. n. 873. *Taberna De* pœnit. c. 6. §. 2. q. 4. & alii tres Doctores hujus Provinciæ, quos consului, Sacerdotem Societatis in una diœcesi approbatum, dum iter agit per alias diœceses, adhuc posse audire confessiones quorumcumque sæcularium, exceptis locis, in quibus Ordinarii existunt, & dummodò Parochi non repugnent, id enim habemus vi Bullæ Greg. XIII. *Decet Romanum Pontificem.* quo privilegio, uti innuit *Lugo* d. 21. n. 47. firmus subditi & censetur approbati ab illo Ordinario, in cujus diœcesi sumus. Putantque plures apud *Dianam* p. 3. t. 2. R. 123. Decreta Pontificum, quæ videntur talem facultatem revocare, tantum loqui de potestate audiendi

con-

confessiones permanentes, non autem transeunt, hoc enim est minus & diversum privilegium. Sed cum Clemens ad confessiones simpliciter audiendas, præscindendo an transeunter an permanentes, universim requirat approbationem Ordinarii loci, in quo Regularis audit, ac revocet omnia qualiacunque & quomodocunque data privilegia in contrarium, non auderem sententiam illam sequi. Nec novum *Comp. privileg. Societatis v. Confessarius §. 2.* videtur satis fidere isti privilegio.

4. Docet Gobat t. 7. n. 85., ex quo notârunt alii, quod in locis Germaniæ vel omnibus vel plerisque, Sacerdotes Societatis & alii Mendicantes in una Diœcesi approbati, novâ approbatione in alia communiter non egeant, ex tacita Episcoporum concessione. Sed de hoc satis non constat, cum viderim sæpè Regulares ex una ad aliam diœcesin transeuntes sistere se Ordinariis, & per hoc tantum facilitare approbationem suâ pro nova Diœcesi, si ostendant approbationes aliarum Diœceseon.

1514

5. Regularis approbatus potest suum socium Regularem ejusdem Ordinis absolvere, in quacunque Diœcesi sit cum illo, quia decreta Pontificum tantum loquuntur de confessionibus sæcularium & Religiosorum alterius Ordinis.

1515

6. Dicta decreta tantum loquuntur de Confessariis Regularibus, hinc quoad Parochos seu alios Sacerdotes sæculares manet antiqua quaestio, à quo Episcopo approbati esse debeant: Henric. & alii dixerunt sufficere à quocunque Episcopo, sive pœnitentis, sive Confessarii, sive alio, quia *Trid.* tantum requirit approbationem Episcopi, abstrahendo, quis ille sit: sed sententiam

1516

tiam illam meritò rejicit *Lugo* n. 29. & ratio colligetur ex dicendis. Alii cum *Viva* dicunt requiri & sufficere approbationem ab Episcopo pœnitentis, quia penes Episcopum est committere oves suas illi, cui vult & judicat expedire: sed contra hanc sententiam sunt multæ declarationes S. Congreg. apud *Lugo* n. 31., de quibus tamen videri potest *Leuren.* in Foro benef. p. 1. q. 434. n. 2. Alii cum *Suar.* & *Castrop.* pu. 19. §. 3. dicunt requiri & sufficere approbationem ab Episcopo Confessarii, quia Confessarius debet probari ab Episcopo, ergo debet illi esse subiectus: sed contra hanc sententiam etiam est, quia si vera est, Sacerdos Colonienſis non posset Monasterii approbari ab Episcopo Monasteriensi pro confessionibus Monasterii audiendis, quod est incredibile & contra praxin, inquit *Lugo* n. 33. & 36. Alii cum *Nav. Barb.* *Lugo* n. 35. determinatè requirunt approbationem ab Episcopo illius loci, in quo quis confessiones audit; quia spectat ad Episcopum, ne quis in sua Diœcesi confessiones audiat, qui ab eo non est judicatus idoneus, sicuti ad Magistratum urbis spectat, ne Medicus absque ejus licentia civibus medicinas præscribat. Hæc sententia videtur probabilior, eamque *Carden.* n. 271. putat nunc esse certam ex Constit. *Clementis X.*, quia quando hoc declaratur de Confessario Regulari, facile à paritate rationis idem colligitur de sæculari; sed ratio ista nulla est, nam in positivis non valet illatio à pari, imò nec à majori ad minus, vel contrà, aliàs bene sic argumentarer, hic Episcopus reservat blasphemiam, ergo etiam odium Dei; Papa reservat lectionem libri hæretici, ergo etiam desperationem &c. Hinc

Illj. tr. 6. d. 6. n. 177. & alii multi cum *Leur. n. 1.* non improbabiler dicunt saltem Parochum hujus Diœcesis non indigere aliâ approbatione ad alibi audiendam confessionem sui subditi, quia cum ratione muneris sit Pastor ejus, & Confessarius ordinarius, satis à *Trid.* censetur pro illo ubique audiendo approbatus; sicuti etiam Confessarii Principum & Magnatum, qui respectu illorum sunt veluti Parochi, quando per varias Diœceses illos comitantur, audiunt illos ubique sine approbatione singulorum Ordinariorum. Et idem videtur dicere *Lugo nu. 42.* de quocumque sæculari Sacerdote approbato retinente domicilium in hac Diœcesi, si cum subdito hujus Diœcesis peregrinetur in alia Diœcesi: Et ideo etiam *Sanch. & alii* apud *Leur. q. 435. n. 4.* docent, si Parochus alteri approbato non Parocho deleget jurisdictionem in suos, hunc delegatum posse istos Parochianos audire etiam extra Diœcesin, cujus est Parochus delegans, sicuti enim hic Parochus posset audire suos in alia Diœcesi, ita poterit habens delegatam ab illo potestatem. E contra tamen docet probabilius *Illj.* etiam Parochum hujus Diœcesis non posse extra hanc Diœcesin audire alienos sine approbatione Episcopi loci.

7. Quod dictum est de Parocho sæculari, videtur dicendum etiam de Regulari habente verum Beneficium Parochiale, quia simili modo supponitur jam approbatus in hac Diœcesi pro sua Parochia, cui affixus est. 1517.

8. Quod attinet ad Missionarios castrenses, 1518.
Layman l. 5. t. 6. c. 10. n. 5. rectè docet eos, qui ab Episcopo præficiuntur alicui legioni suæ pro

administrandis Sacramentis, esse talis legionis veluti Parochos, ubicumque terrarum illa fuerit, & etiam si novi milites accedant aut succedant aliis: Sed tota difficultas est, si Missionarius ille sit Regularis, an propter *Constit. Clementis X.* debeat approbari ab Episcopis omnium Diocesium, per quas transit aut in quibus fortè commoratur legio. Negârunt duo Doctores à me interrogati, & putârunt sequentia posse tutò teneri: 1. Talem Castrensem etiam Regularem, ubicumque sit, esse approbatum pro sua legione. 2. Si milites alii etiam ex alia legione, cui alius Sacerdos Castrensis præest, ad eum accedant, posse absolvi, quia milites omnes censentur esse veluti vagi, & proprii Missionarii contenti sunt, ipsi autem sunt approbati etiam pro illa Diocesi respectu suæ legionis, ergo sicuti si subditus hujus Parochiæ veniat ad Parochiam alterius vicini, potest ab hoc Parocho absolvi, uti habet praxis, ita etiam hic. 3. Videtur idem dicendum esse de aliis hominibus vagis, qui quamvis non sint milites, tamen fortè in exercitu sunt, vel in præsidio, & petunt ab eis absolvi. 4. Quod attinet ad alios, qui non sunt vagi sed Parochiani locorum, in quibus sunt vel per quæ transeunt legiones, quoad hos videtur in rigore observanda *Constit. Clementis*. 5. Unus eorum Doctorum addidit, talem Castrensem habere jurisdictionem pro toto exercitu, ideoque si unus Tribunus alterius legionis eum peteret, posse etiam hos absolvere, nam si hic moreretur, alter in ejus locum posset succedere absque nova auctoritate Superiorum, quorum voluntas hic est talis. Ita viri illi, ego autem nihil definio: attamen

attamen pro confirmandis hîc dictis n. 1. occurrit hæc ratio, quia tales castrenses sunt Parochi suæ legionis, ergo talis legio est ipsius Parochia, ergo ubicumque sit legio, ipse semper est in sua Parochia, dicitur enim Parochus à *παροικος* accola seu incola, eò quòd collocetur inter eos, quorum, quoad animam, curam gerit, uti dixi l. 4. n. 599. ergo cùm semper sit inter legionem suam, semper est in Parochia sua, & non tantùm circumducit Parochianos suos, sed reipsa circumfert totam Parochiam suam, uti enim legio est vaga & nullo loco fixa, ita & Parochia illius, ergo sicuti Parochus existens in sua Parochia semper potest absolvere suos, ita & talis Missionarius.

Q. 216. Quid præterea notandum sit circa approbationem Regularium. R. seqq. §. 1. Illi Regulares approbantur ab Episcopo, qui approbantur à Superioribus suis ex speciali gratia vel facultate concessa ab Episcopis, uti per se patet. 1519.

§. 2. Ex n. 1505. constat Confessarium Regularium exemptum, quamvis secundùm dicenda n. 1552. habeat jurisdictionem à Papa, attamen hanc habere suspensam usque ad approbationem Episcopi, qui si hanc semel dederit, functus est officio suo, & tum habent Regulares jurisdictionem à Papa acceptam, omnino expeditam, nec impedibilem ab Episcopo, secundùm dicenda n. 1545. Tenetur autem Episcopus Regularem repertum absolutè idoneum approbare indistinctè sine restrictione ad tempus, loca, personas, uti habet Clemens X. n. 1505. Non sufficit autem peritam esse & injustè denegatam approbationem, uti colligitur etiam ex 1520.